Prælatis aliorum Ordinum cum illis communicantibus, qui reſpondent prædictis officiis, & Dignitatibus Benedictinorum. Quòd ſi quæras, an Prælati iſti poſſint hoc ſibi conceſſum privilegium alicui delegare Confeſſario? Credo, quòd poſſunt; quia habens Juriſdictionem per privilegium Papæ, habet illam ut ordinariam, & proinde poteſt illam delegare. Hucuſque *Portellus*, *addens numer.* 6. quòd Prælati prædicti in illa die per hoc privilegium diſpenſare in irregularitatibus, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ poſſint, injuncta tamen condigna Pœnitentia, *numer.* 7.

168 Pro conſolatione Religioſorum (*ait Portel. citat. V. Abortus, num.* 11.) Addo, quòd ſi Religioſus habens aliquam irregularitatem, vel inhabilitatem, à quibus illius Prælatus poteſt diſpenſare, ſi, inquam, talis Religioſus præſens fuerit in Capitulo Viſitationis, vel Provinciali, in quibus Prælatus dicit in Generali: *Abſolvo vos ab omni Cenſura, & diſpenſo Vobiſcum in omni irregularitate, & habilito vos ad omnia*; ſi, inquam hæc dicat, ille qui præſens fuerit, ſi ſit irretitus aliquo ex illis tribus, manet abſolutus à Cenſura, irregularitate, & inhabilitate. Nam talis abſolutio datur ab habente poteſtatem, & ſortitur effectum, Ita in terminis *Navarrus in Sum. Latina capit.* 26. *numer.* 13. Hæc omnia ſupradicta intelligenda ſunt de irregularitatibus ex delicto provenientibus; nam in irregularitatibus ex defectu conſurgentibus nequeunt diſpenſare Prælati Regulares niſi ſint Generales, vel Provinciales, & in certis tantùm caſibus, verbi gratia in defectu natalium ad Prælaturas juxta dicta ſuprà *num.* 161. & in quibus Epiſcopi de Jure cum ſuis ſubditis poſſunt diſpenſare. *Herincx citat. quæſt.* 7. *num.* 185.

§. III. Confeſſarii deputati pro Conventu

169 AD abſolvendum à caſibus reſervatis, imprimis non poſſunt cum Religioſis diſpenſare *in votis* ab eiſdem emiſſis; quia aliud eſt abſolvere à caſu reſervato, & aliud eſt diſpenſare in votis; ultimum competit Prælatis Regularibus exemptis, & iis quibus hanc diſpenſandi poteſtatem ſpecialiter delegarunt; quod non cenſentur feciſſe, quòd aliquem confeſſarium deputaverint pro Conventu ad abſolvendum à caſibus reſervatis, cùm quis poſſit abſolvi à reſervatis, abſque eo quòd cum ipſo diſpenſetur in votis. *Sed difficultas eſt*, an habens facultatem abſolvendi à caſu reſervato, ſimul habeat facultatem abſolvendi à Cenſura, & irregularitate tali peccato annexa? Ad quam cum noſtro P. Gaudentio Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia capit.* 6. *§.* 22. *numer.* 98. Reſpondeo probabiliùs affirmativè: Ita tenet quoad Cenſuras annexas, Portel. *V. caſus reſervati, numer.* 3. & 4. Suarez *de Cenſuris diſp.* 7. *Sect.* 4. *numer.* 13. Peyrinis, *de Prælato quæſt.* 3. *capit.* 2. *num.* 29. Lezana *V. Caſus reſervatus num.* 26. & Alii. Niſi Prælatus aliter ſe explicet, vel ex circumſtantiis antecedentibus, vel conſequentibus aliud colligatur. Ratio eſt: tum quia cùm favores ſint ampliandi, Cenſuræ autem, etiamſi ſint pœnæ, comprehendi tamen poſſunt ſub nomine caſus, & in communi modo loquendi, ſicut homo dicitur cadere in peccatum, ſic etiam dicitur cadere, ſeu incidere in Excommunicationem: adeòque ſicut in *Concilio Trident. Seſſ.* 24. *capit.* 6. ſub facultate data Epiſcopis abſolvendi à caſibus occultis, ex omnium ſententia intelliguntur tam peccata, quàm Cenſuræ illis annexæ, ſic & facultas abſolvendi à reſervatis data à Superioribus Regularium intelliguntur tam peccata, quàm Cenſuræ annexæ: tum quia conceſſo Principali, id eſt, caſu, intelligitur conceſſum acceſſorium, id eſt, Cenſura: tum quia aliàs illa facultas eſſet inutilis, nam ſi Cenſura maneret reſervata v. g. Excommunicatio, vel non poſſet abſolvi pœnitens à peccato, remanente tali Excommunicatione, vel non poſſet communicare, aut celebrare, donec Superiori ſe ſiſteret, & ab excommunicatione ab eo abſolveretur; cùm tamen ideò facultas abſolvendi petatur, & à Superioribus detur, ne pœnitens ſe perſonaliter Superiori repræſentare cogatur: Denique quia talis eſt communis praxis Religionum. Imò juxta *Lezana ſuprà numer.* 27. dum Superior alicui dat facultatem abſolvendi à caſu reſervato, etiam cenſetur dare facultatem diſpenſandi in irregularitate propter illud contracta, niſi ex circumſtantiis, & modo, quo hæc facultas concedi ſolet, contrarium conſtet. Unde cùm juxta *Bordonum Reſol.* 13. *quæſt.* 5. *numer.* 19. poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis Religioſis in irregularitate contracta ex abortu fœtus animati: & juxta *Portel. V. Abortus, numer.* 12. poſſint hanc poteſtatem delegare uni confeſſario ſubdito, ut diſpenſet in foro conſcientiæ cum delinquente, puto, quòd dùm Superior dat facultatem alicui confeſſario, ut abſolvat à caſu reſervato, & is verbi gratia ſit abortus fœtus animati, ſimul det facultatem abſolvendi ab excommunicatione, & diſpenſandi in irregularitate tali peccato annexis; idque etſi Superior neſciat facultatem peti pro tali peccato, niſi expreſſè limitet; quia cenſetur tunc tali confeſſario auctoritatem petenti, omnem auctoritatem pro iſta vice conferre, quam ipſemet habet, ne pœnitens Superiorem accedere teneatur, adeòque extendit ſe ad Cenſuras, & irregularitatem iſti peccato annexas, à quibus ipſe Superior abſolvere, aut diſpenſare poteſt. Vide *Bordonum Reſol.* 31. *num.* 59. Hæc autem intelligenda ſunt pro foro conſcientiæ tantùm: nam ſi crimen legitimè probatum fuerit, Judicialem correctionem reus non evadet. Hucuſque *Kerckhove cit.*

§. IV. Confeſſarii Regulares Mendicantes reſpectu Sæcularium.

170 COnfeſſarii Regulares Mendicantes poſſunt cum ſæcularibus diſpenſare ſuper omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, ſuper quibus poſſunt Epiſcopi. Ita Bernardus Sannig *tom.* 3. *Scholæ Theologicæ Scotiſtarum, Diſt.* 3. *de Irregularitate, quæſt. ult. num.* 7. citans Martinum à S. Joſepho *in Comp. facult. Confeſſ. Verbo: Diſpenſare*, Sorbum *Verbo: Abſolutio*. Rodiquez *in explicatione Bullæ Cruciatæ* §. 9. Suarez *tom.* 4 *de Regul.* Sanchez, & alios graves DD. Regulares. Item Chaſſaing *de privileg. Regular. tract.* 5. *capit.* 4. *prop.* 1. Baſſæus. Crouſers, Sayrus, & Henriquez apud Herincx *Diſp.* 6 *de Cenſuris quæſt.* 7. *§.* 4. *num.* 196. contra Paſſerinum *de Hominum Statibus, & Officiis, quæſt.* 187. *art.* 1. *numer.* 810. Portel. *in dubiis Regularibus V. confeſſor circa Irregularitates Sæcularium, numer.* 34. & Alios. Ratio eſt; quia Sixtus IV. Fratribus Ordinis Minorum, Bulla 9. (: quàm poſteà Confirmavit Julius II. Conſtitutione ſua, quà incipit: *Dum ad Sacrum Ordinem Minimorum*, §. 32. quam refert *Peyrinis* ad Conſtit. 1. Julii II.:) *conceſſit facultatem ad Confeſſiones audiendas, & ab omnibus excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, & ſuper quacunque Irregularitate Ordinaria, tam à jure, quàm ab homine reſervatis, toties quoties opus fuerit, abſolvendi, diſpenſandi, ac vota quæcunque permutandi, ſicut poteſt Diœceſanus.* Hanc verò conceſſionem Minimis factam fuiſſe reſpectu ſæcularium, fatentur *Corduba, Crouſers, Sayrus, Henriquez, & Joannes de La Crux, apud Baſſæum, V. Irregularitas XI. numer.* 10. Idem tenent *Antonius à Spiritu S. in Directorio Regularium, part.* 1. *tract.* 2 *diſp.* 3. *Sect.* 2. *numer.* 65. *Vega, Pellizarius, & Baunii.* Idem ſupponunt Authores ſuprà citati. Ratio eſt 2. Quia Paulus III. Bulla: *Cùm inter cunctas*, conceſſit confeſſariis ſocietatis Jeſu, quòd poſſint *abſolvere quoſcunque utriuſque ſexus fideles ab omnibus peccatis, Criminibus, Exceſſibus, & delictis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, Cenſuris, & Pœnis Eccleſiaſticis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domni*; Sed inter has pœnas ponuntur Irregularitates, ut tenet *Sanchez lib.* 6. *Operum moralium*, & Alii Theologi: Ergo Confeſſarii Regulares Mendicantes poſſunt cum ſæcularibus diſpenſare &c. Vide etiam circa hoc *P. Sporer Theol. Sacrament. parte* 3. *capit.* 6. *Sect.* 2. *numer.* 742. Nec refert, quòd Papa citatus non utatur Verbo: *Diſpenſare*, ſed *Abſolvere*, quia, ut habet *Suarez tract.* 8. *diſp. de Relig lib.* 2. *capit.* 21. *Abſolvere* ſæpè capitur pro *Diſpenſare*, quaſi *Abſolvere* idem ſit, quod *Abolere*. Deinde illa Verba: *Pœnis Eccleſiaſticis debent* aliquid operari, alioquin eſſent ſuperflua, quod abſque ratione diceretur, ſed non aliud, quàm ſignificando Irregularitates: Ergo &c. Tandem hæc Materia eſt favorabilis; eſt enim ſupremi Principis privilegium: Ergo amplè interpretandum; & aliunde non conſtat de aliqua Pontificia prohibitione terminata ad Regulares Presbyteros circa hoc punctum: Ergo, ita *Sannig citat.*

QUÆSTIO Ultima.

De Reliquis Pœnis Eccleſiaſticis, & earum Relaxatione.

SUMMARIUM.

172 *Quid ſit Pœna Eccleſiaſtica, & quotuplex? Quid ſit inhabilitas, & privatio Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum Eccleſiaſticorum?*

173 *Quid ſit Degradatio, & Depoſitio?*

174

174 *Quid ſit ceſſatio à Divinis?*

175 *Quinam poſſint diſpenſare in prædictis pœnis Eccleſiaſticis?*

176 *Quid poſſint Confeſſarii Regulares Mendicantes circa illas reſpectu ſæcularium?*

ASSERTIO Ultima.

171 P*Oena Eccleſiaſtica, ſeu Canonica eſt, quæ ab Eccleſia, ſeu poteſtate Eccleſiaſtica, per Canones, vel ſecundùm Canones infligitur, eſtque ſeptuplex, nimirùm Cenſura, Irregularitas (de quibus jam egimus) Degradatio, Depoſitio, Ceſſatio à Divinis, Inhabilitas ad beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & privatio illorum priùs ritè obtentorum. Degradatio poteſt relaxari à ſolo Summo Pontifice: Depoſitio verò, & Ceſſatio à Divinis etiam ab Epiſcopis, & Epiſcopalem poteſtatem habentibus, Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum reſpectivè ſubditorum tolli poteſt, ſicut etiam Inhabilitas ad Beneficia Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & privatio illorum priùs ritè obtentorum; modò prædicta inhabilitas, & privatio non ſit ſpecialiter ab homine inflicta, nec ad forum contentioſum deducta; & tunc etiam Confeſſarii Regulares Mendicantes in eiſdem cum Sæcularibus diſpenſare poſſunt.* Eſt communis DD.

§. I. Pœna Eccleſiaſtica, Inhabilitas, & Privatio Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum Eccleſiaſticorum.

172 P*Oena Eccleſiaſtica, ſeu Canonica*, eſt, quæ ab Eccleſia, ſeu poteſtate Eccleſiaſtica per Canones, vel ſecundùm Canones infligitur. Communis, & colligitur ex *Doctore noſtro Subtili in* 4. *diſt* 25. *q.* 1. Definitio patet ex terminis; ſola notanda ſunt verba *per Canones*, quibus verbis indicatur pœna ipſo Jure, ſeu ipſo Canone jam impoſita, conſequenter jam latæ ſententiæ exiſtens; & *vel ſecundùm Canones*, quibus verbis innuitur pœna per ſententiam primùm, juxta præſcriptum tamen SS. Canonum ferenda; ſi enim his conformiter non infligeretur à Judice, foret injuſta. Hæc itaque pœna Eccleſiaſtica eſt *Septuplex*: Prima eſt *Cenſura*: Secunda eſt *Irregularitas*, de quibus jam egimus in præcedentibus. Tertia eſt *Inhabilitas* ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, quæ eſt Pœna Eccleſiaſtica, qua quis inhabilis redditur ad validè recipiendum Beneficium, Dignitatem, & Officium Eccleſiaſticum, adeò, ut collatio ipſo facto, & ante omnem ſententiam ſit nulla. Quarta eſt *Privatio* Beneficii, Dignitatis, & Officii Eccleſiaſtici, quæ eſt pœna Eccleſiaſtica, qua quis privatur Beneficio, Dignitate, vel Officio Eccleſiaſtico priùs ritè obtento. Qualiter autem, & quomodo obligent inhabilitas ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & privatio eorundem, vide, quæ diximus ſuprà *c.* 1. *ſect.* 3. *n.* 268.

§. II. Depoſitio, & Degradatio.

173 QUinta pœna Eccleſiaſtica eſt *Depoſitio*, quæ deſcribi ſolet, quòd ſit pœna Eccleſiaſtica removens Perſonam Eccleſiaſticam, ob enorme crimen, ab ordine, omni Juriſdictione, & Beneficio Clericali in perpetuum, retento ſolo Canonis, & fori privilegio. Sexta eſt *Degradatio*, quæ deſcribitur, quòd ſit pœna Eccleſiaſtica, amovens Clericum ab omni gradu Clericali, & privilegio etiam Canonis; ac fori in perpetuum, ob atrociſſimum, & graviſſimum Crimen. Qualiter autem degradatio fieri debet, docet *Bonifacius VIII. cap. Degradatio* 2. *de Pœnis in* 6. dicens: *Clericus igitur Degradandus veſtibus Sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud Inſtrumentum, ſeu Ornamentum ad Ordinem ſuum ſpectans, ac ſi deberet in Officio ſuo ſolemniter miniſtrare, ad Epiſcopi præſentiam adducatur: cui Epiſcopus publicè ſingula, ſive ſint Veſtis, Calix, Liber, ſeu quævis alia, quæ illi juxta morem Ordinandorum Clericorum, in ſua Ordinatione ab Epiſcopo fuerint tradita, ſeu collata, ſingulariter auferat, ab illo veſtimentum, ſeu ornamentum, quod datum, vel traditum fuerat ultimò, inchoando, & deſcendendo gradatim, degradationem continuet uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione tonſuræ: tuncque radatur caput illius, ſeu tondeatur, ne tonſura, ſeu Clericatus veſtigium remaneat in eodem; &c.* Denique ſeptima Pœna eſt.

§. III. Ceſſatio à Divinis.

174 QUæ eſt quædam Deſiſtentia à Divinis Officiis, & adminiſtratione Sacramentorum ex ſimplici prohibitione Eccleſiæ, non eſt Cenſura; nec propriè Pœna; ſed ſimplex prohibitio in deteſtationem ſceleris, & ſignum graviſſimi doloris conſtituta; quam deſiſtentiam à Divinis Officiis aſſumit Eccleſia, inſtar planctus cujuſdam ratione injuriæ ſibi, vel DEO illatæ, vel per modum defenſionis contra illam. Unde violans ceſſationem à Divinis, etiam per actum Ordinis, non incurrit Irregularitatem, utpotè nullo Jure ſtatutam. Per ceſſationem à Divinis prohibentur publica Officia Divina, & adminiſtratio Sacramentorum in loca, in quo ceſſatio eſt indicta. Excipiuntur juxta communem DD. apud *Herincx diſp.* 6. *de Cenſuris q.* 5. *nu.* 108. Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, Confirmationis, Viatici, & Matrimonii. Denique inter effectus ceſſationis à multis enumeratur privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſed cùm deſuper non adſit textus Juris, alii meliùs docent, tempore ceſſationis à Divinis, Laicos æquè, ac Clericos tumulari poſſe in loco Sacro, abſque ſolemnitate tamen Eccleſiaſtica; quia ſepultura ſumpta pro nuda depoſitione cadaveris in locum ſacrum, non continetur ſub Divinis Officiis, ſed eſt quodam opus Pietatis, & Miſericordiæ. Ita *Suarez, Coninch. Maſtrius, Herincx cit. nu.* 109. apud quem vide plura de hac re, ſi placet.

§. IV. Relaxatio Pœnarum Eccleſiaſticarum.

175 QUantum ad Relaxationem, & Diſpenſationem prædictarum pœnarum Eccleſiaſticarum, docet communis DD. Degradationem ſubjacere Diſpenſationi ſolius Pontificis, Depoſitionem verò tolli poſſe ab Epiſcopo, ſicut etiam Ceſſationem à Divinis. Quoad pœnas *Inhabilitatis* ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & *Privationis* eorundem, docet noſter Bruno Caſſaing, *in privilegiis Regularium, tract.* 4. *cap.* 2. *Propoſitione* 2. ſequentia: Poſſunt Generales, & Provinciales diſpenſare toties, quoties ſe offert occaſio, ſuper inhabilitatibus ex nota ſeu infamia provenientibus, & quibuslibet aliis impedimentis, & pœnis, ante vel poſt ingreſſum in Religionem incurſi, quibus prohibetur ſacrorum Ordinum receptio, Officiorum; & Dignitatum Eccleſiaſticarum adeptio, & poſſeſſio. Hæc propoſitio probatur ex conceſſione Gregorii XIV. facta Generali Miniſtrorum infirmorum, quam affert Portel. in dubiis Regularibus, verbo: *Prælatus ad abſolvendum, n.* 23. citatus Sorbum *in addit. ad compendium*, & ex conceſſione Eugenii IV. facta Ciſtercienſibus, ut tenet *Liamas in* 4. *p. Methodi*, cum illa reſtrictione, dummodò his non ſit aliquis nominatim comprehenſus. Et hujus ſententiæ ſunt præcitati Doctores, inter quos eſt Martinus à S. Joſepho, *de Poteſtate General. n.* 10. *& de Poteſt. Provinc. n.* 11. Poſſuntque iidem juxta illos, aliis hanc facultatem committere: requiritur tamen ante diſpenſationem prædictam Pœnitentia, & ſatisfactio, juxta *Rodriq. to.* 1. *q.* 20. *art.* 5. *& Portel. cit. loco.* Ita *Caſſaing. cit.* qui propoſitione Tertia ſubjungit: Poſſunt prædicti Prælati diſpenſare in occultis prædictis omnibus pœnis à Jure, aut univerſaliter ab homine latis, Summo Pontifici quomodolibet per ſacros Canones, vel extravagantes reſervatis, cum ſuis videlicet ſubditis Religioſis, quod ſemper etiam in ſupradictis ſubintelligendum venit. Ratio eſt: quia prædicti Prælati Regulares habent eandem facultatem diſpenſandi in his pœnis cum ſuis ſubditis, quam habent Epiſcopi diſpenſandi cum ſuis, atqui Epiſcopi poſſunt in his diſpenſare, ergo. Unde *Sorbus* in Compendio noſtrorum privilegiorum, verbo: *Abſolutio quoad ſæculares. Secundò*, in reſolutionibus abſolutionum, circa finem ibi, *Reſolutio materiæ præfatæ*, reſolvit poſt longam hujus materiæ diſcuſſionem ſequentia: *Miniſtri Generales, Provinciales, & illi, quibus ipſi commiſerint, poſſunt abſolvere Fratres, & Moniales ſuæ obedientiæ, ab omni vinculo excommunicationis, & quibuſcumque aliis Cenſuris, & peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto, exceptis illis deductis ad forum contentioſum; omnemque ab illis inhabilitatis, & infamia maculam abolere, & in quibuſcumque occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & in quibus Epiſcopi poſſunt cum ſuis, vigore Concilii Tridentini, exceptis dumtaxat contentis in Bulla Cœnæ Domini, antequàm ſcilicet obtineatur facultas pro illis, ex privilegiorum confirmatione.*

176 Denique Confeſſarii Regulares Mendicantes à ſuis Superioribus præſentati, & ab Epiſcopis approbati, poſſunt in foro conſcientiæ cum ſæcularibus diſpenſare, ſuper pœnis Eccleſiaſticis Epiſcopo, & Papæ reſervatis *extra Bullam Cœnæ*, non autem ſuper pœnis per ſententiam Judicis inflictis, aut ad forum contentioſum deductis. Ita noſter *Bruno Caſſaing in privilegiis Regularium tract.* 5. *capit.* 4. *propoſitione* 2. P. Sporer *Theol. Sacrament. parte* 3. *capit.* 6. *ſect.* 2. *num.* 742. & Alii. Ratio eſt: quia Paulus III. Bulla: *cùm inter cunctas*. 3. Julii. 1545. conceſſit Confeſſariis Societatis JESU ſequentia; *Necnon illis ex vobis, qui presbyteri*

fuerint, quorumcunque utriuſque Sexus fidelium, ad vos undique accedentium Confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, Cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, atque eis pro commiſſis Pœnitentiam ſalutarem injungendi, nec non vota quæcunque per eos pro tempore emiſſa (Ultramarinis, viſitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Urbe, ac Sancti Jacobi in Compoſtella, nec non Religionis, & Caſtitatis votis dumtaxat exceptis) in alia Pietatis opera commutandi, concedimus plenam, & liberam facultatem. Hucuſque Bulla Pauli III. quam participant omnes Mendicantes, ut videre eſt *in noſtro Compendio privilegiorum, in fine*, ubi hæc Bulla in terminis formalibus refertur. Hìc tamen notabis cum noſtro *Brunone Chaſſaing cit.* poſſe dictos Confeſſarios Regulares Mendicantes, diſpenſare dumtaxat in pœnis Papæ reſervatis, quæ oriuntur ex caſibus, & Cenſuris, à quibus per dictam Bullam Pauli III. abſolvere poſſunt, quod expreſsè verba Pauli III. citata innuunt, & docet *Martinus à S. Joſepho: & Vega.* Forma in pœnis prædictis diſpenſandi hæc eſſe poterit: *Ego diſpenſo tecum in Pœna Eccleſiaſtica v. g. Inhabilitatis &c. quam incurriſti propter hanc cauſam v. g. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Hìc obſervandū eſt Confeſſario ex Regularibus Mēdicantibus, quòd *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium, p. 1. tract. 2. Diſp. 3. Sect. 2. §. 1. n. 76. & ſeqq.* docet, videlicet, Regulares Mendicantes poſſe cum ſæcularibus diſpenſare in foro conſcientiæ in omnibus pœnis Eccleſiaſticis, dummodo ſint extra Bullam Cœnæ, ex privilegio Pauli III. per quas pœnas intelliguntur Inhabilitates ad Officia, & privationes Dignitatum, vocis, & loci &c. An autem inde colligatur, quòd Regulares Mendicantes ratione ſuorum privilegiorum poſſint diſpenſare in inhabilitate, quam contrahunt recipientes ſimoniacè Beneficia, tam ad idemmet Beneficium, quàm ad alia, exiſtimat contrariam ſententiam eſſe ſuſtinendam; nam, cum Diſpenſatio in hac inhabilitate ſit virtualis collatio Beneficii, ut expreſsè tenet *Suarez* cum *Abbate*, quos refert, & ſequitur *Palaus to. 3. diſp. 3. de Simonia, puncto ultimo, nu. 5. Portel. in reſponſionibus ad caſus conſcientiæ p. 3. to. 1. caſu 12. Trullenchus in Bullam Cruciatæ lib. 2. dub. 2. §. 2. numer. 5.* impoſſibile eſt, poſſe talem diſpenſationem concedi à Regularibus; quia Regulares nec directè, nec indirectè poſſunt conferre Beneficia: ergo nullo modo poſſunt in tali inhabilitate diſpenſare. Inſuper *Reiffenſtuel lib. 5. decret. tit. 3. num. 262.* docet: Simoniacè ordinatum incurrere ſuſpenſionem ab executione omnium ſuorum Ordinum, & ſi in tali ſuſpenſione aliquem actum Ordinis exerceat, incurrere irregularitatem, ac privationem Officiorum, & Beneficiorum omnium, atque inhabilitatem ad ea, ſi fuerit ſæcularis; ſi verò Regularis, privationem vocis activæ, & paſſivæ, atque inhabilitatem ad eam, ex Bulla Sixti V. *Sanctum, & Salutare* (quæ habetur *tom. 2. Bullarii Romani, Conſtitut. 91. ejuſdem*) quæ etiam dictarum pœnarum abſolutionem ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervat, cum derogatione Concilii Trid. *Seſſ. 24. cap. 6.* ut proin etiam circa crimen in hoc paſſu occultum, nil valeat Epiſcopus, & *num. 338. titulo citato* docet, quòd ſi Beneficium aliquod qualecunque tandem per alium ſimoniacè fuerit obtentum, Beneficiario ſciente, & tacitè, vel expreſsè conſentiente, aut ipſomet ſimoniacè procurante, Epiſcopus nec pro foro interno, nec pro externo poſſit diſpenſare, ut Beneficium hujuſmodi retinere, aut idem hac, vel alia vice de novo iterùm acquirere valeat Simoniacus, etiamſi Simonia ſit occulta; pro qua ſententia cit. *Palaum, Suarez, Leſſium, Pirrhing*, & communiſſimam aliorum, nec non declarationem Cardinalium, & *num. 304. eod. tit.* ait: Ignorantiam invincibilem excuſare à peccato Simoniæ, juxta communem, & certam ſententiam, addens *num* 320. Ignorantiam in caſu, quo excuſat à culpa, excuſare etiam à pœnis Simoniæ. Denique Confeſſarius Regularis quando à S. Pœnitentiaria Romana ſubinde impetrat diſpenſationem exequendam in irregularitate, cum hac, vel ſimili clauſula: *ut tamen diſpenſandus inhabilis remaneat ad Officia, Dignitates &c.* nequit in ſimili inhabilitate diſpenſare virtute ſuorum privilegiorum; quia cenſetur eſſe ſpecialiter ab homine reſervata.

APPENDIX.

De Virtutibus Cardinalibus, & Vitiis oppoſitis.

SUMMARIUM.

177 *Quid ſit virtus moralis, & quomodo conſiſtat in Medio?*
178 *Virtus dividitur in Intellectualem, & Moralem, hac in ſtrictè talem, & Theologicam &c.*
179 *An dentur virtutes morales per ſe infuſæ; et per quid virtutes ſupernaturales à naturalibus diſtinguantur?*
180 *Præter tres virtutes Theologicas, et quatuor Cardinales, non dantur aliæ virtutes ab iis eſſentialiter diverſæ.*
181 *Quid ſit vitium, et quotuplex?*
182 *Quid ſit prudentia?*
183 *Et quotuplex?*
184 *Quæ ſint partes Prudentiæ?*
185 *Quid imprudentia?*
186 *Quid ſit Temperantia, et vitia ei oppoſita?*
187 *Partes Temperantiæ ſubjectivæ explicantur.*
188 *Partes integrales Temperantiæ, Verecundia, et honeſtas.*
189 *Partes Temperantiæ potentiales enumerantur.*
190 *Quid ſit Studioſitas, & Modeſtia?*
191 *Quid ſit Fortitudo?*
192 *Quæ vitia fortitudini opponantur?*
193 *Quæ partes ſubjectivæ fortitudinis?*
194 *Quæ Potentiales?*
195 *Quid ſit Juſtitia?* Remiſſivè.

§. I. *Virtus. Vitium.*

I. Virtus Moralis definitur ab Ariſtotele 2. *Ethic.* 6. quòd ſit *Habitus Electivus in Mediocritate conſiſtens; quæ quidem Mediocritas à recta ratione præfinita ſit.* 177
Ubi per *Habitum Electivum* intelligitur Habitus voluntatis; uti ipſa voluntas ſolet vocari Potentia Electiva. *Mediocritas* ad rationem virtutis requiritur ab omnibus Theologis. Unde eſt vulgatum illud: *Virtus conſiſtit in Medio.* Debet porrò Mediocritas hæc præfiniri, ſeu proponi per rectam, ſeu prudentem rationem; ſine qua virtutes eſſe non poſſunt; ut proinde noſter Seraphicus Pater (teſte Doctore noſtro Seraphico S. Bonaventura *capit. 5. Legendæ*) dixerit prudentiam, ſeu diſcretionem eſſe Aurigam virtutum, ſine qua nimirùm virtutes ſunt vitia: Mediocritas autem ſeu medium virtutis aliud vocatur *Medium rei*, aliud *Medium rationis*. Illud eſt, quod ex Natura rei ita taxatum eſt, ut in omnibus ſit omninò idem: hoc verò, quod non ita determinatum eſt, ſed variatur ex diverſis conditionibus, & circumſtantiis perſonarum operantium. Medium rei habet Juſtitia commutativa, nempe reddere præcisè cuique, quod ſuum eſt, ſive ſtatuere, vel conſervare æqualitatem rei ad rem. Medium rationis habet temperantia, & fortitudo. Nam quantitas cibi, & potus, quæ hoc tempore, aut in hac perſona eſt Medium proportionatum, poteſt alio tempore, vel in alia perſona eſſe excedens, vel deficiens. Similiter contingit in fortitudine, quæ poſtulat aggreſſionem, vel fugam periculorum, juxta quod recta ratio declaraverit, attenta gravitate rationum, & perpenſis viribus operantis: ideòque periculum idem aggredi, in uno exigit, in altero vetat fortitudo. Unde in definiendo hoc medio velut magis occulto, quà ad cognitionem, facilè erratur; eſt ſuppoſita bona fide, & ignorantia veri medii, actio operantis ſit formaliter bona. Advertendum quoque medium rationis non ſemper conſiſtere in indiviſibili: qui enim v.g. temperans eſt comedendo tot uncias panis, non ſtatim fit intemperans, ſi paulò ampliùs comedat. Deinde extrema, inter quæ conſiſtit virtus moralis, ordinariè quidem ſunt vitioſa, ut patet in materia temperantiæ, fortitudinis &c. non tamen ſemper, quin ſaltem exceſſus poſſit eſſe non malus, aut etiam laudabilis, v.g. in Juſtitia: qui enim ex juſtitia debet. v.g. centum, ſi excedat, ſeu plus det, eatenùs quidem non exercet actum Juſtitiæ, tamen non neceſſariò peccat, quinimò poteſt benè agere exercendo v.g. actum liberalitatis, aut miſericordiæ. Denique quod attinet ad virtutes Theologicas, etiam hæ aliqualiter conſiſtunt in medio, ut docent paſſim Theologi cum D. Thoma, & Scoto *in 3. diſt. 26. nu. 24.* Non quidem ex parte objecti ſecundùm ſe, cùm illud ſit DEUS, cui, quantùm eſt ex ſe, non poteſt nimiùm credi, ob infinitam ejus veracitatem: quem

quem ſimiliter non poſſumus nimiùm concupiſcere, ob infinitam ejus deſiderabilitatem: quem denique non poſſumus nimiùm diligere, ob infinitam ejus bonitatem; ita ut rectè S. Bernardus *in princip. libri de diligendo DEO* dixerit: *Modus diligendi DEUM eſt ſine modo diligere.* Habent tamen aliquo modo medium ex parte actus; ſive ut loquitur *D. Thomas*, per accidens: nam poteſt in illis excedi, vel defici. Excedi quidem, credendo aliquid DEO convenire, quod non convenit, aut credendo nimis leviter: Sperando, ſeu potiùs præſumendo beatitudinem conſequi ſine meritis, aut ex propriis viribus: Diligendo perfectionem falsò exiſtimatam DEO competere, aut ſic ſolum DEUM diligendo, ut odio habeatur Creatura. Poteſt autem defici, dum non creditur, ſperatur, vel diligitur, quando eſt præceptum: Item diſcredendo pertinaciter, deſperando, DEUM odio habendo. Ita P. Herincx *part. 3. ſummæ Theologicæ diſp. 1. de virtutibus, et vitiis in communi qu. 1. num. 7.*

178 II. Virtus in genere dividitur. I. *In intellectualem, et moralem*, ſive in eam, quæ ſpectat ad intellectum, & eam, quæ ad voluntatem. Intellectualis autem ſubdividitur à Philoſopho 6. *Ethic.* 3. *in ſapientiam*, quæ inclinat ad aſſenſum concluſionum neceſſariarum per primas, & altiſſimas cauſas: *Intellectum*, id eſt, habitum principiorum, ſive quo aſſentimur principiis, ſcilicet mediatis, ſeu non omninò primis, & per ſe notis: *Scientiam*, qua aſſentimur concluſionibus deductis ex hujuſmodi principiis evidentibus, & neceſſariis: *Artem*, quæ eſt recta ratio factibilium: & *Prudentiam*, quæ eſt recta ratio agibilium. Ubi *Agere* Actionem internam; *facere* verò externam, ex mente Ariſtotelis ſignificat. II. Dividitur virtus moralis in *Moralem ſtrictè*, & *Theologicam*. Prima eſt, quæ principaliter verſatur circa aliquod objectum creatum tamquam objectum formale, & terminativum, & ſubdividitur *in IV. virtutes Cardinales*, ſic dictas, quia in earum exercitio, poſt virtutes Theologicas, omnis morum honeſtas firmatur, ac quaſi in cardine vertitur, eædemque ſunt prima quædam, ac principalia honeſtæ vitæ fundamenta; & ſunt *Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, et Temperantia*; ita tamen, ut ſub his quatuor virtutibus Cardinalibus, reliquæ omnes virtutes morales, vel tamquam *partes ſubjectivæ*, vel *potentiales* comprehendantur. Virtus Theologica eſt, quæ immediatè, & principaliter verſatur circa DEUM, tamquam objectum quod, & formale; eſtque triplex, videlicet *Fides, Spes, et Charitas*; hæ enim ſolæ habent DEUM pro objecto primario, quod creditur, quod ſperatur, quod diligitur; ſimiliter habent ipſum DEUM, ejuſve attributum pro objecto motivo, ſeu formali *quo*. III. Dividitur virtus in *Naturalem, et Supernaturalem*; ſive *in per ſe acquiſitam, et per ſe infuſam*. Virtus naturalis, & per ſe acquiſita eſt, quæ ex natura ſua poteſt phyſicè acquiri ab ipſa potentia per frequentationem actuum, ad quos viciſſim eliciendos potentiam facilitat. Virtus ſupernaturalis, & per ſe infuſa eſt, & quæ nequit per ipſam potentiam comparari, ſed ex natura ſua intrinſeca poſtulat infundi. Alioquin ipſis virtutibus naturalibus non repugnat, quominùs à DEO infundi poſſint: poteſt enim DEUS per ſeipſum infundere, quod potentia naturaliter poterat comparare. Si autem hoc fieret, virtutes illæ eſſent quoad ſubſtantiam naturales, ſed quoad modum ſupernaturales, & per accidens infuſæ.

179 Diſceptant hìc Scholaſtici, an præter virtutes Theologicas (quas certum eſt eſſe per ſe infuſas; ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* dicente: *In ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, qui inſeritur Fidem, Spem, et Charitatem*) dentur virtutes morales per ſe infuſæ; Affirmant *Doctores Seraphicus, & Angelicus, Richardus, & Recentiores* communiter, negant verò *Doctor ſubtilis 3. diſt. 36. num. 28. Durandus, Marſilius, Nominales, & Scotiſtæ*, Rationem affert *P. Herincx citat. quæſt. 3. num. 32.* Quia nulla ratione, experientia, vel auctoritate conſtat, ejuſmodi virtutes infuſas dari: ergo non ſunt admittendæ. Quod enim ad rationem, vel experientiam attinet, inde nequidem probari poteſt, quòd virtutes Theologicæ ſint per ſe infuſæ: Quòd verò concernit authoritates, hæ commodè de ſolis virtutibus Theologicis explicari, & intelligi poſſunt *Ulteriùs ſcholaſtici controvertunt*, per quid virtutes ſupernaturales, & per ſe infuſæ diſcernantur à virtutibus naturalibus? Equidem putant aliqui (inter quos Suarez, Curiel, & alii apud *Arriaga diſp. 14. de fide, ſect. 1.*) virtutes naturales in hoc differre à ſupernaturalibus, quod virtutes naturales, & actus earum nequeant tendere in objectum ſupernaturale; quod Scotiſtæ, & alii Doctores paſſim apud *Herincx citat. qu. 2. numer. 18.* negant; quia non affertur quidquam alicujus gravis momenti ab adverſariis, cur illud, quod ſupernaturaliter creditur, ſperatur, & diligitur, proponi nequeat per cognitionem naturalem cum eadem ratione formali, & conſequenter potentia in illud ſic propoſitum tendere; ſupernaturalia enim poſſunt eſſe objectum actus naturalis, imò etiam mali; adeòque poſſunt naturaliter cognoſci, & diligi. Experientia quoque docet, reflectentem ſe ſuper actus ſuos, eorumque objecta non deprehendere præfatam differentiam, ex qua ſanè alioquin poſſet ſcire, num habeat fidem, ſpem, aut Charitatem ſupernaturalem. Idem eſt de lapſo in hæreſim, qui actu naturali propter revelantem DEUM aſſentitur adhuc articulis fidei, circa quos non erat, ſine ulla, quæ notari poſſit, differentia ex parte objecti. Hinc Scotiſtæ differentiam inter virtutes naturales, & ſupernaturales, ſeu per ſe acquiſitas, & per ſe infuſas deſumunt *tum ex eo*, quòd virtutes ſupernaturales nequeant phyſicè produci per actus, ſicut virtutes acquiſitæ, ſed exigant à ſolo DEO produci; adeò ut actus ſupernaturales ad illas diſpoſitivi, ſint tantùm moralis, vel meritoria diſpoſitio ex beneplacito DEI, qui illas etiam ſine ulla diſpoſitione infundit parvulis in baptiſmo: *tum ex eo*, quòd efficiant actus ſupernaturales: *tum ex eo*, quòd virtutes ſupernaturales non dent aliquam facilitatem potentiæ ad producendos actus, ſicut virtutes naturales. Et hinc communiter dicitur, quòd illæ dent ſimpliciter poſſe; hæ autem facilè poſſe.

III. Ex prædictis infertur, præter tres virtutes Theologicas, & quatuor virtutes Cardinales cum annexis, non dari alias virtutes eſſentialiter ab illis diſtinctas, ſed omnes ad eas reduci: Nam I. *Virtutes Evangelicæ*, ita dictæ, quia earum actus in Evangelio à Chriſto conſuluntur, ſuntque *Paupertas voluntaria, obedientia Religioſa, & caſtitas perpetua*, ad eas reducuntur, caſtitas quidem, & paupertas ad genus temperantiæ, obedientia verò ad genus Juſtitiæ, & ſolùm important ſpecialem gradum perfectionis earundem virtutum ex regulis fidei in Evangelio revelatis deſumptum, II. *Octo Beatitudines*, quas enumerat Chriſtus *Matth. 5.* ſunt habitus, vel actus virtutum moralium, ac Theologicarum, ut Doctores communiter tradunt cum Scoto *in 3. diſt. 34. qu. 1.* Siquidem paupertas Spiritus, & munditiеs cordis reducuntur ad temperantiam; mititas, pacificatio, & miſericordia ad Juſtitiam; luctus ad ſpem; eſuries, & ſitis ad Charitatem, & tolerantia perſecutionum ad fortitudinem. III. *Dona Spiritus Sancti*, quæ ſunt ſpeciales quædam ſeptem perfectiones, à Spiritu Sancto, Chriſto, & quibuſdam aliis viatoribus communicatæ, & exprimuntur *Iſaiæ 11. c.* ſcilicet *Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus Conſilii et Fortitudinis, Spiritus ſcientiæ et pietatis, Spiritus timoris Domini*, ſimiliter reducuntur ad virtutes Theologicas, & Cardinales; nam donum ſapientiæ eſt ipſa Charitas infuſa, quæ paſſim in ſacris litteris vocatur ſapientia. Donum intellectus, & ſcientiæ ad fidem reducuntur. Donum Conſilii eſt ipſa prudentia, quæ conſulit de mediis, & fine. Donum fortitudinis ſuo conſueto nomine exprimitur. Donum pietatis eſt ſpecies Juſtitiæ, quia eſt concernens alterum. Donum tandem timoris Domini eſt ſpecies temperantiæ pertinens ad humilitatem. IV. *Fructus Spiritus Sancti* numero duodecim ab Apoſtolo adducuntur *ad Galatas 5. cap.* hoc Ordine: *fructus autem Spiritus eſt, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas.* Ubi Fides, & Charitas ſunt ipſæ virtutes Theologicæ in ſe: Longanimitas reducitur ad ſpem. Pax, Benignitas, Bonitas, & Manſuetudo reducuntur ad diverſas ſpecies Juſtitiæ, puta, Pax, & Benignitas ad Amicitiam, Bonitas ad Miſericordiam, & Manſuetudo ad obedientiam in ſubdito, & juſtam Dominationem in Superiore; Patientia reducitur ad Fortitudinem; Continentia, & Caſtitas ad Temperantiam; denique Modeſtia ad prudentiam revocatur, cùm Modeſtia debitum in operando modum ſervet, quod eſt munus prudentiæ: ergo fructus Spiritus Sancti pariter non diſtinguuntur à virtutibus Theologicis, & moralibus. V. *Gratiæ gratis datæ* ſunt quædam dona particularia homini viatori, principaliter ad proximorum utilitatem conceſſa, in quo proinde diſtinguuntur à gratiis gratum facientibus, quæ conceduntur ad perſonalem, & propriam viatoris utilitatem, & enumerantur novem à D. Paulo *1. Corinth. 12.* his verbis: *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientię, alii autem ſermo ſcientię ſecundùm eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia ſanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii Diſcretio ſpirituum, alii gratia linguarum, alii interpretatio ſermonum.* Quovis autem modo explicentur hæ gratiæ, non ſunt habitus virtutum eſſentialiter, ab ordinariis diſtincti,